

tos rebelles armatâ manu insurgentes puniendi jus competit, virtus ac robur sæpenumerò deest. Ast in divinis potentia à potestate divelli nequit, unde absurdi sunt Calviniani, quando asserunt humanæ naturæ in Christo communicatam esse ἐξουσίαν divinam, non communicatâ δυνάμει; Conf. Magnif. Dn. Calov. de personâ Christi p. 493. seq. Gerh. exeg. tom. I. loc. IV. c. p. 1385. Affelmann Syntagmatis part. I. quæst. VII, de personâ Christi p. 132. & disp. IX. de Communic. in Christo natur. & Idiom. hypost. num. 123. seq. pag. 163. &c.

§. 3. Objectivè igitur vocabulum Juris seu Domini, de DEO usurpatum, non nudum respectum rationis ad creaturas dicit, ipsius imperio subjectas, ut voluit Bannes, & Scholasticorum alii, (quibus è diametro oppositi sunt, qui hujusmodi respectum in conceptu formaliter significato solùm contineri arbitrantur,) sed simul, & quidem primariò, facultatem absolutam moralem, (Thomæ sententia enim, quâ Dominium omne potentiam coercitivam subditorum involvere scribit, Quæstion. de potentiâ DEI, quæst. VII, Art. X. ad IV. Tom. VIII. oper. p. 154. si de potentiâ Physicâ accipienda sit, probari nequit, quoniam Dominium sæpè est absque hujusmodi potentiâ) in Deo significat, quæ ab æterno ipsi competit, & subjectivè eadem facultas est, quam in creaturas creandas habuisse intelligitur. Quandoquidem autem prætereà, ut verisimilior sententia asserit, ad completum significatum Domini divini pertinet connotatio creaturarum, earumque relatio realis ad DEUM; inde fit, ut vulgò dicatur, DEUM non fuisse Dominum, antequam haberet Creaturas sibi subjectas, præeunte Augustino (l. 5. de Trin. c. 16. tom. II. oper. p. 324. seqq.) Hoc sensu quoque ab æterno rerum omnium Dominus fuit *potestate*, ab initio autem creationis *usu & actu*, ceu loquitur Dom. à Soto de J. & f. l. 4. q. 1. a. 2. f. 101. quem secutus est Sayrus Clav. Reg. Sacerd. l. IX. c. IV. n. 4. p. 532. Neque hoc ullam in DEO mutationem infert, quemadmodum nummus non mutatus est, cum esse coepit pretium, neque cum dicitur pignus, quo simili rem Augustinus l. c. illustrat. Quamvis enim creatura realiter referatur ad Creatorem ac Dominum suum; Dominus tamen ac Creator haudquaquam vicissim realiter ad creaturam, quæ communior sententia est, refertur; nisi cum Nominalibus asseramus, relationes reipsâ non distingvi à fundamento, & respe-